

C V D

A I G G

1 6 9 9

D. 4. 44

~~80800~~

00 a

g. & g. 4^{to}
~~20. 199. X~~

f D E
POLONICA

Electione, in comitiis VVVar-
fauiensibus, anni 1587 &,
quæ secuta sunt;
vſq; ad

CORONATIONEM
SIGISMUNDI III.

& captum
MAXIMILIANVM.

Accessit
De forma Regni & REGIBVS
POLOΝIÆ,
ind. brevis.



**ANNO
CIC CI CIC.**

N POLONIA, rebus huma-

Inis exempto rege Stephano, præcipuos regni ordines, VVarsauiam, archiepiscopus Gnesensis, Stanislaus Carnicouius, regni primas, conuocauit: vt de loco, tempore, & modo electionis noui regis, & pace ac tranquillitate publica, interregni tempore conseruanda, constitueretur. Vbi inter cæteros articulos, hi quoque, tametsi postea minimè à præcipuis qui eos condiderant seruati, de procerum qui aderant consilio, sancti sunt: vt rex nouus, non nisi de vnanimi omnium ordinum consensu & concordibus suffragiis electus & comprobatus, publicè renuncietur. ac eum, qui factiones alere, vel dona & munera noui regis eligendi causa accepisse, vel alias practicas exercuisse depræhendatur, pro hoste patriæ habendum esse. Promittunt etiam, se vulnera exorbitantia, vt nominant, tam priuata quam publica, etiam ciuitatum sublaturos esse, antequam ad electionem progressum fuerit. Semota ex thesauris regiis Sigismundi & Stephani, & alia Reipublicæ bona per externos occupata, regni Thesaurario restituui iubent. archicancellario Zamoischio imperium summi ducis exercituum regni abrogant: & Herbordo cuidam officium illud, in finib[us] regni, in Volhinia, Podolia, & reliqua Russia excubandi cum 3000. equitum commendant. Regi inter cæteros articulos in coronatione proponendum esse, vt decretum de proscriptione Christophori Sborouij aboleat, eumq[ue] in integrum restituat. Hæc ex Stanislaj comitis à Gorca, & Sborouiorum fratribus ac cæterorum in eo conuentu præsentium voluntate tum absente cancellario, & aliis, constituta sunt.

Electionis vero comitia, VVarsauiam, ad diem 30. Iunij Gregoriani, seu 20. nostri, indicta. ad quæ multi proceres
arma-

armati, & præsidijs equitum ac peditum mediocribus muniti, accesserunt. inter quos, Ioannes Zamoiscius archicancellarius, prope Colum seu septum conuentibus procurum in campo cis Vistulam, dimidio à V Varsauia millari, destinatum; castra metatus est. Huic capitales cum Sborouiorum familia, ob Samuelem Sboronium, capitis suppicio, iussu regis, affectum, inimiciciæ intercedebant. quibus dirimendis: & disputationibus de Articulis in proxima superiore conuocatione V Varsauieensi sancitis (quorum aliquos in præiudicium sui factos Zamoiscius & iphi coniuncti improbabant) & Lithuanorum legatis, Vistula fl. à Polono Senatu semotis, ad communes cum Polonis deliberationes aggregandis: & Grauaminibus provinciarum ac ciuitatum cognoscendis: aliquot hebdomadarum tractationes, irrito exitu consumptæ: antequam ad electionem ventum est.

LITHUANI se non ad bellum, sed ad liberam & pacificam noui regis electionem profectos ostendebant. Ideoq; nisi arma prius deposita, & controvërsiæ sedatæ, & grauamina illorum sublata, & iura ac libertates suæ redintegratae essent, in Senatum Polonorum venire recusabant. questi Liuoniae gubernationem Lithuanis debitam; Cancellariam, & alia officia, multipliciter per Polonos turbari: regem Stephanum ipsis non consentientibus electum & coronatum esse: sicut & proxima superior conuentio V Varsauiae ipsis inscijs instituta fuisset &c.

BORVSSI, multis nobilibus ac benemeritis bona sua eripi; varias exactiones & Telonea, in aquis & terra insti-tui; dignitates & officia, præteritis indigenis, conferri externis: causas notabiles extra Borussiam in regni comitijs, non adhibito Borussorum consilio, sæpè decidi; iura terrarum Borussiæ in dubium vocari; monetam non probam cudi: collegio V Varmiensi ius electionis liberum adimi; & rege Danico, ciuitatis Dantiscanæ naues, ob Reipublicæ

Polonæ priuatis debita, detineri, & alia questi sunt. Rigenes, religionem Augustanæ confessionis, intrusis contra expressam cautionem sibi à rege Stephano datam, Iesuitis labefactatam, restitui; & solam in vrbe conseruari priuilegia Reipublicæ, sublatis ambiguis clausulis, quæ in contrariam sententiam, ab ea, quam ipsi ex verbis colligant, alij detorquerent; proprijs & perspicuis verbis scripta confirmari: castellum ad Dunæ ostium excitatum remoueri: aliae prouinciae & ciuitates alia flagitabant. Tandem vero hæ prouinciarum & ciuitatum querelæ omnes in suspenso relicte; & proclamata tertio Augusti pace publica, postridie exterorum regum legati auditi sunt.

Præcipui autem competitores regni, primùm ex familia Austriaca, Ernestus, Matthias, & Maximilianus, Rodolfi Imperatoris fratres, fuerunt: quos Cæsaris Rodolfi, Philippi Hispaniæ regis, Electorum imperij omnium legati, Polonis commendabant. & partibus suis additos in maiore Polonia Stanislau comitem Gorcanum, & totam Sborouiorum familiam, cum magna prouincia illius nobilitate, habebant.

SIGISMUNDO autem, Ioannis III. Suecorum regis, & Catharinæ Jagellonicæ filio, addictissima Poloniæ Regina materterea fuit, quæ magno studio proceres, ut eum Regem crearent, sollicitabat: cui, eximia familiæ Jagellonicae in Rempublicam Polonam merita præcipue suffragabantur, & fauorem apud multos conciliabant; vt iure quodammodo regnum illi tribuendum esse videretur. Teritus erat Theodorus magnus Moscouiæ Dux, qui vniuersam ditionem suam, à finibus Liuoniæ ad mare Caspium pertinentem, adiuncturum se Regno Poloniæ, si Rex eligeretur, promittebat. Hanc conditionem Lithuani potissimum, & alij cupidè amplectendam censebant, tamen si serio Moscum hæc offerre vix sibi persuadere alij cordati poterant. Quarto loco habebantur, qui Piastrum, seu ex corpore

corpo Regni aliquem, omnibus exteris præferendum censebant. Quorum sententiam multi non postremæ autoritatis Senatores probabant. In primis enim regno expedire visum est, Regem, qui linguam, mores & iura Regni perspecta & cognita haberet, & constitutum Gubernationis cursum ac modum continuare posset, designari. Disputabant, exteris appetere Regnum, non ut regni sed sua commoda & potentiam augeant, & suos ex regni prouentibus ditent. Non tutum esse, cum exteris externas quoq; vires ac exercitus in regnum attrahere. Molestissimum verò & intolerabile, quod in conferendis dignitatibus, officijs & honoribus, externi indigenis præferrentur. Exemplo esse Stephanum regem defunctum, cuius potentia ita iam excreuisset, ut cum Hungaris suis vniuerso regno terrori esset. Has & similes rationes multas, magno cum applausu multi excipiebant. & intestina procurum æmulatione ac inuidiâ, qua alij alios sibi præferri ægerrimè laturerant, sublata, indigenam Regni aliquem, ad hoc fastigium dignitatis euehi maximè optabant.

Turcici etiam Imperatoris nomine, Vefrius Bassa, proceres Polonus hortatus fuerat, vt amiciciam, coniunctionem ac obedientiam, Portæ excellentissimæ, hactenus ab ijs, tūm in electione Regis, tūm alijs negotijs præstari solitam; deinceps etiam tuerentur, & liberrima sua electione, vnum ex fratribus Stephani filijs, vel VVeivodam Transyluaniae, regem designarent.

Sed Legati PP. Romani: Cæsaris Rödolphi, Stanislaus Pawlouius episc. Olomucensis, Carolus Dux Munsterbergensis: regis Hispaniæ, VVilelmus de S. Clemente: archiducum Austriae (quos Ioannes Sborquius honoris causa ad curiam deducebat) pro Cæsaris fratribus intercedentes: & Moschici, suum principem Théodorum proponentes: Item Sigismundi Transyluaniae principis, VVolfgangus Couafocius cancell. & Casparus Cornis: marchionis

Georgij Friderici Borussiæ ducis, Letiñus à Bułow: die 4.
Augusti publicè audit i sunt. Postridie, IO Annis III. Sue-
corum & Gothorum regis oratores, ERICVS SPARRE
regni procancellarius, et comes Ericus Brahe; pro Sigismun-
do Suetiæ principe, aduersus Moschum, perorarunt. Hi
ob inuersum in audiendis legatis ordinem, initio cuncta-
ti, venire recusarant, priusquam protestationem, de Regis
sui præminentia, in Senatum misissent, quam in iudicio
castrensi VVarsaviæ postea, autoritate publica confirma-
runt. Post hos, electorum imperij Germanici, qui Austria-
cæ familæ, ex qua ipsi tot seculis iam Imperatores Romanos
creassent, rationem præ cæteris haberi petebant: & Frideri-
ci Curlandiaæ Ducis nuncij, in generali colo, deliberationi-
bus publicis primùm destinato, legationes suas exposuerunt.

SEcesserant autem inde, octiduo ante, ob contumelias
Sverborum, archiepiscopo, & Palatino Masouïæ, à Posna-
niensi & alijs, illatas: & peculiarem conuentum, vicino
in loco, (quem nigrum Colo nominabant) senatores a-
liquot instituerant. quibus se, vicecancellarius regni Al-
bertus Baranouius: & Palatinus Cracoviensis Andreas
Tenschinus; Masoujensis, Stanislaus Critius; Plocensis,
Gregoriua Zilensky; Kyouiensis, Constantinus Dux Ostro-
gius; & Marscalcus regni, Andreas Opalinus; Thesaura-
rius, Ioannes Dolscius; & archicancellarius, Ioannes Za-
moisius; adiunxerant. Lithuani verò, totas jam sex heb-
domadas, trans Vistulam, peculiaria castra & senatum, ab
utrisq; seiundum, habebant.

Qvicum archicancellario & Marscaleco regni conuenie-
bant: quæsitis ordine suffragijs, partim Piastum, plurimi
verò Sigismundum, Suetiæ regis filium, regno utilissimum
fore judicabant, quod priori familæ Regum Jagellonicæ
optimè de regno meritæ, propinquissimo sanguine iunctus
& indoles in eo præclarissima, & linguae Polonicae peritia
esset. & non modò vicini regni amicitia & federe Poloni-
am manuturus, verum etiam non paucas & graues contro-

uerias, quæ serenissimo Suetiæ regi, cum regno Poloniæ intercederent, sublatus esset. & nullus potentior vicinus iuritari vel offendie electione eius posse videretur.

Hanc nominationem, & judicium, de singulis competitoribus, suum, ceteris, apud Gorcanum & Sborouios, congregatis, significant, eorumq; declarationem flagitant. Quācum aliquot dies distulissent, tandem dari non posse, nisi in communem senatum cæteri venirent, responderunt.

Archiepiscopus autem, quatuor candidatos, Piaſtum, Moſchum, Aūstriacum, & Suecum, in ordinario colo, proposuit: addens tamen, nolle se cum Germano ex comitijs domum redire. Sciscitanti autem Gorcano, an non Suecum etiam pro Germano haberet? respondit, hunc ex Polono sanguine ortum sibi videri.

Die 9. Auguſti, Archiepiscopus Gnesnensis & cæteri episcopi (excepto Kyouiensi) & proceres, qui Maximilianum auersabantur, relictis Gorcano & Sborouianis, in alterum conuentum, ubi Cancellarius, archimarschalcus, & alij Senatores præcipui, Suecum designarant, tranſeunt, & circa meridiem, SIGISMUNDVM Suetiæ principem, REGEM renunciant. Gorcanus, Sborouianus, & illis adhærentes in ſuo ſenatu contra reſtati, ad Maximiliani electionem procedunt: & decretum regis Stephani, de Christophori Sborouij proſcriptione abrogant. contra quam abrogationem, qui Suecum elegerant, scripto protestantur.

Lithuani etiam plerique, Maximilianum regem profus recufantes, Moſchum nominarant. poſtridie missis ex ſuo ſenatu ad Sborouianos, palatino Trocense Ioanne Lebowicio, & vicecancellario Leone Saphia, hortantur, ut à nouo rege eligendo abſtineant: ſe enim apud alteram quoque partem laborare, ne ulterius progrediantur, ſed electionem in aliud tempus & locum magis opportunum diſſeruant. cumq; tres reges propositi ſint, Suecus, Maximilianus & Moſchus: ſi alioquin amicè conuenire non poſſint, SORTE potius, præmilla inuocatione Dei, iuxta exemplum

scripturæ, VNUM ex his eligendum censem. Postridie
etiam, Georgium Radeulum cum fratre, qui Austria-
cum anominantibus se adiunxerant, ex senatu euocatos
orant, ut nouam electionem impedian. Verum his admo-
nitionibus spretis, qui in Collo erant, ineunte iam nocte, di-
em 12. Augusti sequente, MAXIMILIANVM Austria-
cum Regem, voce Kyouiensis episcopi Iacobi VVroniecij,
promulgant: & postridie in Franciscanorum templo subur-
bano, Doxologiam cantunt: Andrea Sboroulio aulæ Mar-
schalco, ad atam denio Maximilianum renunciante: Gar-
dinale vero Radeulo sacrum ecclæbrante.

Utriusq; vètò regis nominationem Lithuanum
(Cardinale Radeulo & fratre excepto) prorsus improba-
bant, & communis cum nobilitate Lithuania & magna Po-
lonicæ parte, diplomate, duos reges non legitimè & libera
electione, sed vi & armis præcipuarum familiarum, op-
pressa suffragiorum libertate, designatos, ideoq; ad suos frat-
tres domi de hac iniuria suæ libertatis illata se referre, &
noniam ac legitimam electionem instituere & constanter
tueri velle, testati sunt.

Interea, qui Maximilianum Regem creartunt: condi-
tiones & pacta electionis, cum Rodolphi Cæsarisi & Phi-
lippi Hispaniæ regis Oratoribus ineunt, & decretum ele-
ctionis, per regni proceres & episcopum Kyouensem: Ioan-
nem Sborouum Castellanum Gnesensem & Graudenti-
um: Alexandrum ducem Princensem & alios, Maximilia-
no intimandum, consiciunt. Cum autem Articuli con-
ditionum & pactorum, inter ordines illos regni Poloniæ,
& dominus Austriacæ legatos contentorum, typis excusi
extens: summas breuiter adscribam.

Promittit Cæsar Rodolphus, rex Hispaniarum Phi-
lippus, & tota dominus Austriaca, per legatos: h[ab]entgenta
millia aureorum, in regni Poloniæ fiscum à se depositum
& solutum i[ps]i. 200. millia statim post electionem publica-
tam,

tam, vt inde miles ad finium regni defensionem, si Turca
fortè aliquid moturus esset, alatur. altera ducenta M. post
coronationem, reliqua suo tempore, vt cum ordinibus con-
uentum fuerit. Paæta & fœdera inter regnum Poloniae &
Turcam olim facta rex seruabit & renouabit. Sin contra pa-
æta Turcus apertè arma moueat: Romani PP. vniuersæ do-
mus Austriacæ, omniumq; illius amicorum auxilia, Polonis
præsto erunt. ac vt hæc electio etiam ipsi Turcæ formidabi-
lis existat: Rom. PP. Cæsar, Hispanus, cum præcipuis
Christiani orbis regibus & imperio Romano, fœdus facient,
qui cum regni Poloniae & Lithuaniae cōfœderatis, à Polonia
& Lithuania Turcos depellent: etiam Theodoro Mosco-
uiæ duce, in communem confœderationem per Cæsarem
adducto. In limitibus regni, Podoliâ præcipue, arces & pro-
pugnacula sumptibus domus Austriacæ intra triennium ex-
citabuntur. Rex electus, pacem publicam & priuatam in
Polonia fideliter tuebitur, & prouinciarum grauamina tol-
let. Libertates, iura, priuilegia ordinum, & confœderatio-
nem inter dissidentes de religione, conseruabit & augebit.
Officia, dignitates, & feuda bonorum regalium, nullis ex-
traneis, sed indigenis Polonis & Lithuania conferet, & ali-
enigenis collata recuperabit. Controversias de Prussia &
Liuonia, inter Romanum Imperium & Poloniae regnum
existentes, intra quinquennium Imperator tollere studebit.
Naruicam negociationem & societatem ciuitatum Hansæ
restaurabit. De Barenſi & Rosanensi ducatu & ceteris Bo-
nae Reginæ Poloniae redditibus Neapolitanis, cum rege Hi-
spaniae aget, vt iustis conditionibus tandem cum Poloniae
regno transigatur. Amicitiam inter vicina Poloniae, Vn-
gariæ, Boëmia regna, & commercia, cum Romani impe-
rij & domus Austriacæ subditis instituta, conseruabit.

Academiam Cracouensem clementissimè fouebit & prouehet. Quinquaginta adolescentes nobiles Polonos studijs literarum vel militie deditos, in alijs nationibus

B suo

stio sumptu alet. Polonis & Lithuaniae fortibus viris, dotu
Austriacæ operari suam nauantibus, aditum ad functiones
& equitum ordinum dignitates & beneficia apud Hispaniæ
regem patefaciet. Debita Sigismundi Augusti Poloniæ
regis, sine fisci detinente soluet, & fidem regiam libera-
bit. Postem, vniuersa domus Austriaca, omnibus in re-
bus, dignitatibus, amplitudinem & felicitatem regni Polo-
niæ omni diligentia & studio prouehet & ornabit. His con-
ditionibus & articulis omnibus & singulis integrè ac con-
stanter se satisfactum esse, Iuramento solenni, Olomu-
ciæ, in summo templo, die Lamberti, 17. nostri Septembri,
27. Gregoriani, Maximilianus, in legatorum Polon. &
amplissima præcipuorum domus Austriacæ procerum, qui
vna subscripserunt, præsentia, confirmauit.

AB altera parte, Sveciæ regis legatis, Articulos, Poloniæ
regni proceres præcipui ac plurimi, qui Sigismundū regem
dilegiant, proponunt: ut perpetuum fœdus sit inter Po-
loniæ & Sveciæ regna aduersus utriq; finitimos hostes. Mor-
tuo Ioanne Sveciæ rege, filius Sigismundus, Sveciæ regnum
retineat, & ad primogenitos hæredes transmittar. & si res
ita feret, de consensu ordinum Poloniæ & Lithuaniae, in
Sveciam se conferre possit. Liuoniæ partem, Sveciæ regi
hoc tempore subiectam, toti corpori Liuoniæ, atq; ita coro-
næ regni Poloniæ, Sigismundus restituat & vniat. de quo
cùm legati mandata se non habere ostenderent: Regina
Poloniæ Anna (pignori datis omnibus bonis suis) fideiu-
bet. Classem armatam, in regni Poloniæ & Lithuaniae v-
sus, suo sumptu in mari instruer. Machinas bellicas, cer-
to numero, cum omni necessario instrumento, Polonis ad-
uersus Nouogardiam, Plescouiam vel Smolensiam aliquid
rentantibus, suppeditabit, & ad VVendam captas relinquet.
Summarum 124. M. Ioachimicorum, Sigismundo Augusto o-
lim à Ioanne Sveciæ rege mutuo datam: præterea dotem

8c

& hereditatem maternam, & quæcunq; alia sibi à regno Poloniæ & Lithuaniae, etiam ratione ducatus Barri ac Rosanensis in regno Neapolitano deberi existimabit, regno dominabit. Arces quinq; munitas, in unib; regni, ex arbitrio ordinum, suo sumptu ædificabit & instruet. Nullos peregrinos homines, nisi paucos cubiculo illius seruientes, in regnum adduceret. & hos, de suis stipendijs personatis, prima occasione iterum dimitteret. Cum Sueciæ regnum gubernabit, nullos regni Sueciæ consiliarios, consiliis aut negotiis regni Poloniæ adhibebit. Corporis etiam custodes, eorumque praefectos, nullos, nisi Polonos & Lithuaniae natos, constituet. Nullis externis, prædia, dignitates vel officia villa, sed solis Polonis & Lithuaniae natis, iuxta regni statuta, conferet. Stipendia militibus in Livonia & Podolia, sub rege Stephano debita, & alios ad defensionem finium & regni, donec Cracouiam veniat, impensos sumptus fideliter solvi in coronatione curabit. Confœderationem inter dissidentes de religione, non solum ut Henrici & Stephani tempore factum est, conseruabit: verum etiam executionem aduersus violatores, iuxta formam processus præscriptam, adiunget. Iura, libertates, priuilegia, & statuta regni, & in specie Articulos in coronatione regis Henrici sancitos, omniaq; alia, quæ conseruandis & augendis eorum libertatibus & iuribus seruient, & Majestati regiæ in coronatione proponentur, confirmabit & tuebitur.

Ad Sueciæ principem accersendum, & per mare deducendum, Castellanus Podlassiensis Martinus Lissowolsky missus. Qui verò Dantisci eum exciperent, & præstito iuramento ad coronationem dederent, Episcopi, Vladislauiensis Hieronymus Rossejus, & Posnaniensis, ac Præmisliensis, Albertus Szapponius regni vicecancellarius; Palatinus Calicensis & Castellani, Rauensis, Radomius, & Socalzouensis, & ex singulis Palatinatibus aliquot nobiles, deputati sunt.

Ioannes III. Suecæ rex; cùm de discordi electione Po-
lonorum, nono post renunciatum VVarsauia Sigismundum
dilectum die cognouisset: aliquod dies, mestio ac sollicito ani-
mo, & à filiis, quem unicum & carissimum habebat, dimis-
sione, si non prorsus alieno, certè anticipi ac dubio hærebat:
Multaq; dura suo tristis cum corde putabat, quæ dehortabā-
tur, ne ex regno, & conspectu ac complexu suo, Filium,
quem ardenti ~~sagyn~~, non tam ob sanguinis vinculum arcti-
simum, quam in dolem optimam & virtutem, unice dilige-
bat, in Poloniæ mitteret, & dissidijs ac bellis, que ex di-
scordia procerum oritura verebatur, objiceret: cùm certum
domi & pacatum ac tranquillum regnum jam possideret.

Offendebatur etiam inuercunda petitione eius Liu-
niæ partis, quam à Nerua ad Revaliam & Habsalam usq;
amplissimam, & q; ob fere mill. Germi patentem, tenebat.
Iniquissimum enim censebat, si Filium unicum, Polonis
potentibus Regem daret, & creditum ingens, vna cum do-
te & hæreditate conjugis materna & paterna, sibi debitum,
regno donaret: Liuoniæ à se tantis laboribus curis & sum-
ptibus bello captæ, ac ex Moschiori & faucibus ereptæ
iacturam facere. Itaq; hac se conditione, ut proprium re-
gnum imminueret, filium in Poloniæ missurum, constan-
ter negavit. Sigismundus etiam, externo ac electio se
regno malle carere, ostendebat, quam; aucto & hæreditario,
partem, quantumvis exiguum, detrahi ac praecidi.
Sed oportune, illis ipsis diebus, Elicus Sparre, procan-
cellarius, qui lumen fide, industria & dexteritate causam re-
gis in Polonia egerat, Dantisco ad regem traiicens, de om-
nibus Polonicis actionibus, & toto rerum status, regem edo-
cuit. Accedebant Zamoiscijs, Poloniæ archicancellarij, ad
Sigismundum literæ, quibus Cracoviam, vna cum corona
& insignibus regni, iam à se teneri, & in Sigismundi po-
state esse, significabat: ac ut quamprimum veniret, nec me-
tu aut inertia regnum oblatum amitteret, hortabatur.

Tan-

Tandem igitur, paternum regis affectum, Filij honor, & multorum consilia, & publica vicinorum regnum utilitas superavit; vt Filium, adiuncto consiliorum moderatore fido, prudente & graui, Erico Sparre pro cancellario, & alijs regni proceribus ac nobilitate præcipua, cum classe 24 nauium armata, traijere ad Dantisci portum concederet, ita tamē, ut nauem ante non egredieretur, sed in Sueciam potius rediret; nisi hunc de Liuonia articulum, in jure militio præteriti, proceres regni Poloniæ permisissent.

ib x Appulit igitur ad Vistulæ ostium Sigismundus, die 19 Septembris, & totos octo dies in naui mansit, donec negotio cum legatis regni transacto, tandem 27 Septembris, Oliuæ juramentum solenne, Regibus nouis proponi solitum, statua sua protestatione, de Liuoniae parte, quam Sueci tenent, Coronæ Polonicæ non cedenda, præstítit. Postridie naui ad pontem Motlauæ subvenitus, vesperi urbem introiuit. Vbi duodecim dies commoratus, et si nuncios de Maximiliani illi Poloniæ expeditione jam suscepta quotidie accipiebat, tamē nihilominus, iter cum sorore Anna, regiam Poloniæ materteram inuisura, suscepit. 10. Octobris.

Interea, qui Cracoviæ pro rege ac regno excubabant, literis ad Pontificem Romanum, ad Cæsarem Rodolphum, ad electores Imperij, ad Maximilianum ipsum datis, historiam electionis noui Regis prescribunt, ac orant, ut publicæ tranquillitati & paci regni & totius Christianitatis suo loco consuliantur. Palatinus etiam Cracoviensis, Andreas comes Tensinius: Cancellarius & duxor exercituum regni, Ioannes Zamoyscius: & capitaneus Cracoviensis Nicolaus Zebridouius, nominatim Episcopum Vratislaviensem, tobrius Silesiæ prefectum, de veteribus inter vicinas gentes sacerdibus admonentes, & suum pacis studium significant. Sinvero quis armata manu inde ad Poloniæ fines veniat, ostendunt se communi gentium iure usuros, & vim vi repulsuros. Maximilianus vero nihilominus ad Cracoviæ viciniam ini-

initio Octobris iacedit, & confirmatione priuilegiorum,
alijsque diplomatibus, ad conuentum ordinum Visit
ensem, præterea literis ad Cracoviensem Clerum, Acade
miam & urbis Senatum missis, se recipi petet. Sed in e
andem sententiam ab omnibus respondetur, se Sigismund
dum Regem habere, qui iam regnum ingressus, per Boru
siam aduenit. SIGISMUNDUS PETRICOUIAM usq; progressus, literas à
Maximiliano ad Cracoviam desidente, obuias q; habuit:
quibus eum hortatur, vt ex regno sibi legitimè delato, cuius
possessionem, fretus DEI ope, & iusticia cause, & Christ
ianorum principum auxilijs, adiisset in quod Svecum
leui persuasione & temerario quorundam consilio addu
ctum venire cerneret; discedat. Sigismundus vicissim ille
non temeratio consilio, sed ab ordinibus regni, qui V. Var
saliensibus comitijs ipsum frequentissimis suffragijs regem
creauerint, vocatum venire; ac se meliori iure nici, recit
ata utriusque electionis historia, ostendit. Ac his verbis
tandem concludit: Nos quidem, Deo benè iuvante, Crac
couiam progreedi ad capessenda insignia Regni constitutum
habemus: quod nos fauor hominum studiaq; deducunt: pri
usque fortunas omnes, vitamq; ipsam in quoduis discrit
men exponere, quam vocationem diuinam negligere, tab
taq; studia ac voluntates hominum, regnumq; ipsum defec
tere, parati sumus. S. V. autem iterum atq; iterum rogamus,
vt quemadmodum in hunc docum sibi periculosum deducta
est, ab hominibus iis, qui ad res suas constituendas, S. V.
copijs & impensis abutuntur, neq; ullam S. V. habent rati
onem: ita iam, consilio, prudentiaq; sua vtatur, maioremq;
salutis & incolumentatis, quam eius dignitatis, cuius inanij
specie quadam hic S. V. derinent, rationem ducat: atq; ex
regno, quod propter tot hominum alienas voluntates, Do
minum sibi minimè destinasse, facile potest intelligere, ipsa
decedat, copiasq; illas suas deducat. Quare sane & sibi &
publicæ

publicæ tranquillitati optimè S. V. consuluerit. Datae Pe-
tricouiae ex itinere, die 7. Nouemb. Anno 1587. supatilis
Cùm autem, illis ipsis diebus, præcursores Poloni, ad
exploranda itinera præmissi, à Maximiliani ducibus, repulsi,
& Andreæ Opalini, equites quidam, non procul à Pritzpor-
to oppressi essent: Sigismundus aliquot dies Petricouiae sub-
stitit. donec Poloni, dignitatis & securitatis electi regis ra-
tionem habentes, ex vicinis Palatinatibus armati ad se ma-
iores copias adducerent.

MAXIMILLIANUS verò, vt aditu Sigismundum prohiberet, arctiore obsidione Cracouiam pressit, eamque occupare, quorundam in vrbe secum vel seriò vel simulatè conspirantium operâ, conatus est. Sed cùm Zamoisciū archicancellarius & generalis exercituum regni dux, cum præsidio urbem fortiter defenderet; exercitus Maximiliani depulsus, multi interfici, & tormenta bellica, & aliquot signa militaria, hosti extorta sunt. Maximilianus igitur, soluta vrbis obsidione, ad Silesiæ fines exercitum reduxit, vt maioribus in Germania comparatis copijs, denuò regnum Poloniæ fugitiuum persequeretur.

Interea, apparatis in vrbe arcubus triumphalibus, & alijs ad excipientium regem nouum necessarijs; SIGISMUNDUS, à regni archimarschalco, Andrea Opalinio, & cæteris proceribus, deductus: die 29. nostri Nouembris, Cracouiam, à meridionali vrbis parte, per Casimiriam & Stradom ingreditur. Vbi supra pontem, Vistula fl. solennibus verbis excipiens nouum regem, & nulli alteri se aditum in vrbem Cracouiam concessurum testans, in arcu representatus est. Ad D. Floriani, imago Stephani regis, sceptrum Sigismundo tradentis, eumq; ad virtutem & res præclarè gerendas suo exemplo excitantis, expressa erat. Circa Stephanum, spolia, Maximiliano recens adempta, machinæ bellicæ, arma, & duo vexilla suspensa erant, addita inscrip-
tione:

SIGISMVND O III. electo Poloniæ
Sueciæ Regi, quod eius auspiciis, Maximili-
ani archiduois Austriæ miles, ad oppugnandum
urbem missus, vicit; magnaq; cum cede, tor-
mentis q; ademptis, repulsus sit; Dux Sæulites,
qui pro dignitate regia, ac libertate patriæ exci-
barunt, ut de Christianis, partim etiam ciuibus,
mesti; ut vero necessitate Sævi sibi illata, ea sit
perata, Deo victoria auctori gratias agentes PP.

Rex in templum descendens Cardinalem Bathoreum
salutauit. Inde progressus ad portam Floriani, Sigismundum
Augustum; postea, Sigismundum primum: in aditu
fori, Alexandrum; inde Ioannem Albertum; Casimirum
III. & in aditu arcis IAGELLONEM primum ex hac familia
regem, propositos habuit. Recepimus in arce tormento-
rum tonitrua exceperunt. ac eodem tempore Balthasar Ba-
thorius, Andreæ, regis Stephani fratri filius, cum Borne-
missa, & bis mille Vngaris, aduenerunt.

Congregatis igitur Cracoviæ episcopis ac proceribus re-
gni, & delectis ex Nobilitate, SIGISMVNDS Suetiæ prin-
ceps, 17. nostri Decemb. seu Dominica tertia Adventus: que
ipsis dies Ioannis Evangelistæ in ferijs Natalitijs fuit: so-
leanni more ac modo, CORONA REGNI Poloniæ, ab ar-
chiepiscopo Gnesnense, insignitus est. eiq; postridie, Sena-
tus & ciues Cracovienses fidelitatis iuramentum dederunt.
Numos argentos, non prorsus vnciales, cudit: quibus ab
vno latere, ipsius imago, & epigraphe, SIGISMUND. III.
D. G. REX POLONIÆ, DES. SVECIÆ. MAG. D.
LITHVA. in altero, Gladius vibratus, cum inscriptione,
PRO IVRE ET PRO POPVLO, expressus est.

Paucis post coronatione diebus, Rodolpho Cæsari, Sigil-
mundus,

mundus, de corona & insignibus regni à se acceptis, per litteras significat. & Maximilianum fratrem, ab eo quamprimum ex Polonia reuocari, nec consilio auxilioq; suo & suorum deinceps juvari, & de damnis contra communia fædera datis satisfieri petit. Testatur se diutius, tot suis, regniq; sui incommodis deesse non posse. iam q; ex hoc tempore, nullo etiam expectato responso, id suscepturnum, quod & dignitas sua, & commissorum sibi populorum injurie, à se requirant.

Ineunte igitur anno, Ioanes de Zamoiscia, Dux exercituum regni, cum Polonis, Germanis & Vngaris recens à Baldasaro Bathoreo & Bornemissa adductis, Cracoviâ monens, Maximilianum, ex maiore Polonia, in Silesiæ fines decadentem, ad oppidum Silesiæ Bitlin, in ditione ducum Brigenhum, nouem à Vratislavia milliaribus, assequitur, ubi profligatis copijs, Maximilianus ipse, cum præcipuis Ducibus, in oppidum secedit. quod cum statim Zamoiscius militi cinxisset, & igne ac tormentis admotis, exitium omnibus præsens intentaret: Maximilianus archidux, & proceres illius partium Poloni, Stanislaus comes à Gorca, palatinus Posnaniensis: Iacobus VVroniecius episcopus Kyotiensis: Andreas Sborouius, marscalcus curiae; Alexander Dux Prunscensis & alij complures, se captiuos Zamoiscio dedegunt. qui moderatè & clementer, sine vlla insultatione, auctoritatem verborum asperitate, deditos accepit. & deprecantem Maximilianum, ne Cracoviâ in triumpho duceretur: rex Sigismundus ipse, accepto de illius captiuitate & postulatis nuncio, eundem quem antea vultum grauem & tranquillum, nulla læticiæ gestientis significatione edita, retinens, reuerenter & honorifice haberi: nec Cracoviæ, tot populum & gentium hominibus captum velut in theatro ostentari, sed rectâ in Russiæ arcem Crasnistauam, in episcopa Chelmensi, cum præsidio ablegari mandat. quem Dux viator, Zamoisciam usq; comitatus est.

subnum

C

DEVS

DE VS, qui transfert & stabilit regna, & dat salutem
Regibus, quos elegit: inclytum Poloniae regnum & reges
regat & seruet, & nos singulos doceat & gubernet. Anima
les nobiles, domini passibus unitas unita. Ius dicitur. Sunt ad
tempore pietatis, in vita: Populus, clericis Quidam dignus:

De Forma REGNI & RE-

gibus Poloniae

SENATUS legi, Palatinis dividens
POLONIAE regnum, ducenta millaria Germ.
hoc tempore, a Viadro, ad Borysthenem, & a
Tyra ac montibus Sarmaticis, ad Parnaviam
Liuoniam, patens; in Polonię maiorem & mi-
norem; Russiam & Prussiam; Lithuania &
Liuoniam: & hæ prouinciae rursus pleraq; in Palatinatus,
& Castellanas, seu territoria certa, distinctæ sunt.
PALATINI seu **VVIWODÆ**, duces copiarum suæ quisq;
satrapæ in expeditionibus bellicis: & in pace, conuentuum
& judiciorum Nobilitatis præsides: & Iudæorum, patroni ac
judices: Quindecim antiquitus in Polonia, & adiuncta illi
Russia, fuerunt: Cracoviensis, Posnaniensis, Sendomiriaæ,
Calissiæ, Siradiæ, Lenciciæ, Breste, Vladislauiaæ, Leopoli-
ensis sue Russiae, Podolie, Lublinensis, Bessensis, Plocen-
sis, Masouiæ & Rauensis. & in Prussia, Culmensis, Mari-
æburgensis & Pomeraniæ; In Lithuania aliij decem.

CASTELLANI, quasi legati sunt Palatinorum, ductoresq;
ac præsides Nobilitatis, sub suo quisque Palatino, & in suo
quisque territorio; ubi nullam alioquin jurisdictionem,
dominium, aut curationem, præter hanc bellicam legatio-
nem, habent. Suntq; Castellani in Polonia sexaginta
quinq; quos receusere non arbitror esse operæ precium.

CAPITANEI vero, præfecti sunt arcium, oppidorum, ac re-
dituum Regionum, & custodes pacis & tranquillitatis pub-
licæ in sua quisque præfectura: latrociniorum, furorum,
aliorumque scelerum vindices, & rerum judicatarum execu-
tores. Ideoq; jurisdictionem & coercionem amplissi-
mam.

mam habent. Horum viets gerunt Vice CAPitanei, Burg-
grajj vulgo dicti: & judices Castrenses, qui sexta quaq; sepa-
timana, de certis causis criminalibus & civilibus etiam aduer-
sus nobiles, qui prædia nulla habent, jus dicunt. Sunt autem
præfecturæ, in utraq; Polonia, circiter Quinquaginta:
in Prussia regali octodecim.

SENatus regni, ex episcopis novem, Palatinis quinde-
cim, Castellanis 65, & officialibus regni, Marscalcis, Can-
cellarijs, & Thesaurario antiquitus constat. sed nona consti-
tutione Lublinensia à Sigismundo Augusto edita, que tamen 1569.
nondum plane maturuit, intermixtis Lithuania, & Prussia
episcopis Palatinis, Castellanis, & magni ducatus officialibus,
ad 140. personas numerus Senatorum aseendit. Sed Poloniæ
episcopi sunt Gnesensis & Posnaniensis in maiore Poloniæ
Cracouiensis in minore: Vladislauensis in Cuiavia, & Po-
merania: Plocensis, in Masouia: Leopoliensis, Præmyslien-
sis & Chelmenensis in Russia: Cameniecensis in Podolia.

Consiliarij maiores vocantur, episcopi, Palatini, & sex
Castellani, Cracouensis, Posnaniæ, Sendomiriae, Calissiae,
Voiniciensis, Siradiæ. Reliqua turba Castellanorum mino-
res habentur.

COMitia rex celebrare volens, cum maioribus Consili-
arijs primum de tempore, loco, & negotijs proponendis per
literas communicas. Deinde Nobilitatis conuentus parti-
culares, in singulis satrapis indicit; & negotia deliberanda
proponit, ut Legatos cerros seu nuncios Terrarum ad comitia
deligat. Nec sine his nuncij legitima comitia habentur.
Considentibus autem in corona, Rege & consiliarijs, Se-
cretarij & nuncij Nobilitatis, & vnius ciuitatis Cracouensis,
poneant. De negotijs vero a Cancellario propositis, sole
consiliarij ordine sententias dicunt. Quibus auditis, nuncij se-
cedentes, ijsdem de rebus, & alijs inter se consultant. Reuersi
eadem siue alia die, non modo de capitibus à rege proposi-
tis, sed alias etiam quibuscumq; ad libertatem, & præroga-
tiuas

tiuas Nobilitatis, & leges publicas, pertinentibus, quod iudicant. Republicæ vtile, postulant, vel admonent. De iudiciorum denuo in Senatu consultatur, nec rata habentur de talibus negotijs decreta, nisi terrarum nuncij assentiantur. In iudiciis vero, de capite & causa Nobilium, & cæteris omnibus causis, per appellationem eō delatis, Rex cum Senatu solo decernit.

REGEM in comitijs, senatores regni, & reliqua Nobilitate eligunt. Fuit autem Regis potestas initio multo liberior. Sed à Ludoico Vngaro primum; deinde à Jagellonibus, jurum regalium nerii & artus, nimiam ferè libertatem Nobilitati indulgendo, admodum incisi sunt. Nam & episcopi, eorumq; subditi, à jurisdictione regis ferè immunes ac exempti sunt: & de viri Nobilis capite & fama, exceptis paucis casibus, Rex non nisi in comitiis regni cum Senatu judicare potest. nec sine Senatus consensu bellum suscipere ullum, nec fœdus facere, nec tributa aut vestigalia instituere, nec de bonis regni quidquam alienare, nec successorem sibi eligere, nec ullam rem grauiorem, ad Rem publ. pertinentem, statuere aut facere ipsi licet. Tributa etiam regia, de singulis agrorum jugeris, quæ olim ad grossi erant, ad duos Ludoicus rededit. & quartam reliquiam de cæteris redditibus regiis, Sigismundus Augustus in ærarium regni Rauense, ad sumptus bellicos deponendam accidit.

Rexerunt autem Poloniā, circa utramq; Vistulæ & VVartæ ripam, cum nondum, Russicas & Lithuaniae provincias amplissimas haberet coniunctas; sui generis & sanguinis Polonici principes, ac vnica, PIASTI; quem ciuis Cracovensis in diœcesi Gnesnensi filium, extincto Popielo, propter eximie virtutis & prudentiae opinionem, proceres principem elegerunt, familia, ad longam posteritatem, annis circiter quingentis, Gubernatores ac reges Poloniæ dedit. Ab eis enim Piaſtus Mieclaus, qui Christi reli-

gionem

gionem primus in Polonia propagare cœpit: pater Boleslai 965.
acris, Primi POLONIAE REGIS, ab Ottone III. Imp. cre- 1001.
ati à quo continua series est regum ac principum, usq; ad
Casimirum magnum, qui Russiae provincias aliquot, regno
Poloniae primus vniuit. & cùm liberis ex se natis moriens
careret, sororis filium, LVDOicum Vngariæ regem, præ 1370.
teritis agnatis Masoviæ & Silesiæ ducibus, successorem sibi,
de consensu Senatus designauit. Cui defuncto, post diu 1382.
turnani procerum regni deliberationem, magnus Lithuanus
dux, IA Gello, Olgerdi filius, Gedimini, (qui Vilnam anno
1305 condidit) nepos; huc usq; idolatrica ethica, ducta
in matrimonium filia illius Hedwige, & sacro fonte abluta,
in regno Poloniae successit, & amplissimas Lithuaniae 1386.
ac Russiae illi coniunctæ provincias, cum Polonia primus
copulatit. Huic seni, ex quarta coniuge, Sophia, Kyou-
ensiæ ducis filia, Vladislaus & Casimirus nati sunt. ex
quibus, ille, Poloniae & Vngariæ rex, ad Varnam casus est. 1444.
CASIMIRVS III. frater, BO Russiam & Pomeraniæ
partem, sponte se dedentem, regno Poloniae adiecit. ac 1454.
numerolissimam sobolem, sex filias, & toridem filios, & in
his quatuor Reges, reliquit. Sed integrum REGVM
POLONIÆ, ex LITHVANIAE magnorumductum sig-
pe eitorum, seriem adscribo.
Vitem cœpit 1280.

Quo imperfecto.
GEDIMINVS, circa A. C. 1300. Volhi- 1315
niam & Kyouiam occupavit. **VILNAM** 1315
condidit 1305, & alias res maximas gessit.

OLGERDVS. Keyfud & Anna, vxor Casimiri ma-
duodecim filios ha- ahj quinq;. gni regis Poloniæ 1325.
buit, vxor Maria,

Iwerensium Du- **VITOLDVS**, Sigismundus dux
cis filia, ter ad Crucem Lithuaniae 1424.

¶ 1381. geros in Berussiam pro- 1440.

Q.

C.

fugita.

fugit, & tantisper Lithuania adflicxit, donec
magnum eius Ducatum, à Jagellone patruelē
conquereretur. A.C. 1392. Orsam, Vitebsiam
& Smolensiam Russis ademit. Tattaris victis
in Lithuania sedes dedit. ⊕ 1430.

JAGELLO VLADIS- Scer- Suidrigal ad Crucigeros
LAVS Rex Poloniæ fa- gelo. configuit. receptus, Po-
etus 1386. ⊕ 1434. dolia præfuit.

Vladislaus, rex Vngariæ & Poloniæ ad Var- CASIMIRVS, post Sigismundum
nam cæsus 1444. patruelē anno 1440. interfectum
Dux Lithuaniae, postea Rex P O-
LONIÆ, 1446. ⊕ 1492.

Vladis- Io. Al- Alexan- SIGISMVN- Hed- SOPHIA ANNA Bar- Eli-
laus Rex bertus der rex DVS I. Rex vvi- coniunx Bugslai bara sa-
Vngariæ rex Po- Poloniæ Poloniæ, gis, Friderici X. Po- Ge- beth
et Boemie loniæ, ⊕ 1506. ⊕ 1548. vxor Georg. march. mer. vx orgij
⊕ 1516. ⊕ 1508. BONA, Io. ducis Brand. or. præ- ducis
Galeazij Mediol. Baua- mater Al sentium Saxonie.
& Isabellæ Nea- riæ berti du- Pomeraniæ ducum
politanæ filia. vxor. cis Pruss. fratribus proavia.

Sigismun- ANNA nupta CATHARI- Isabella Sophia
dus Aqu- STEPHANO na Ioannis Ioannis Henr-
gustus. BATHOR III. Sueciæ regis Bruns.
⊕ 1572. regi Poloniæ regis vxor, Vnga- nupta,
qui ⊕ 1586. ⊕ 1583. riæ vxor. 1556.

SIGISMVN DVS III. Rex POLONIÆ,
Designatus SVECIÆ. natus 1566. die 20. Iu-
nij. coronatus Rex Poloniæ 1587. die 17. De-
cembris.

ludwig C. Casimir I. zum Fürsten von Brandenburg
wurde ein Herzog von Sachsen, als Pragdeutsche bestimmt
zu werden. A. C. 1332. Oder? Albrecht V. wurde König
von Sachsen und Russland. Tatsächlich ist die
Ludwig II. genannt.

WAGELLO ALADIS. Scer. Simplicij sa Cimicidio
LVAS Rex Polonie 13. 1310. constituit. Ecclesia Po-
nens pietatis. quae 1386. ¶ 1434.

Albrechtus rex Augs. CASIMIRAS poli Sigismundum
rex Polonie sa Vsi. quemadmodum 1440. intercessum
est electus 1446. Dux Prussiae polles Rex Po-
nens. LONIA 1446. ¶ 1452.

Io. Al. Alexius. SIGISMUNDUS ANNA BR. ER.
Petrus der rex Das i. rex avi. dominus Regis 13-
1310. Polonie. 1316. Thuringia. Po. Ge. Petrus
Bogotanus. 1318. ¶ nro. 1320. Vaxholm. 1321. 1322
BONA. 1323. ducis Brandenburg. 1324. ducis
electus Mecklenburg. 1325. Pomerania ducis
polonicae filii. 1326. 1327. 1328. 1329.

SIGISMUNDUS ANNA dux CATHARAE. Isabella Sophie
Stephanus de Ioannis Ioannis Henricus -
BARTHOR. 1331. Sophie regis Brandenburg.
¶ 1332. regis Polonie regis Vaxholm. Augs. unbesa.
dai ¶ 1386. ¶ 1387. 1388. 1389.

SIGISMUNDUS III. Rex POLONIE
Duke of Saxe-Coburg. 1382. die 20. Ju-
ly. Colomanus Rex Polonie 1383. die 13. De-
cember.

154182

ABi 154182


ULB Halle

001 536 176

3



sb
-296



Farbkarte #13

B.I.G.



DE POLONICA

Electione, in comitiis VVar-
sauiensibus, anni 1587 &,
quæ secuta sunt;
vſq; ad

CORONATIONEM

SIGISMVNDI III.

& captum
MAXIMILIANVM.

Accessit
De forma Regni & REGIBVS
POLOΝIÆ,
ind. brevis.



ANNO
CIC CI CIC.